QUAEDAM DE PSYCHIATRIA. DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN...

Girolamo Gentili

Quoties elapsis primoribus annis seria mente perpendi quanta qualisque sit ea philosophiae pars, quam Medicinam vocant, non potui quin ad eam addiscendam valdopere incitarer, viresque meas ad artis difficillimae acquisitionem enixe simul convertarem. Agnovi tum scientiam illam privato homini suique ignaro fati quam maxime necessariam esse, eumque quocumque sub coelo hominem ipsum fideliter comitari, abunde alere, ab injuriis defendere, omnibus mulcere deliciis. Disciplinas miratus sum quae divinae viam sternant Philosophiae, quae hanc sibi sororem sociatae veteres educaverunt sophos, rudem illustraverunt orbem, humano intellectui fulgidiorem adduxerunt diem: ac exinde principum solia circumsteterunt, at penetralia publici regiminis ingressae, leges non raro criminumque poenas sanxerunt. Fideli demum amore prosequutus sum artes quae hominem morbo prostratum, ubi possibile, cito tutoque sanant, at supremum ubi fatum nequaquam arceri possit, sublevant tamen atque solantur: quae illam sanum tuentur, et crescere per longaevos annos ac reproduci docent: quae tot denique hominum millia simul collecta ab invasione contagiosae perniciei, ab ejusque horribili clade summo interdum cum discrimina arripiunt. Medicinam summe beneficam, ab

hominis natura haud separabilem, cum eo incedentem quotidie, ac novos perfectionis gradus assequentem, immortalem saepius vocavi, et ignorantiae malignitatisque contumelias tam saepe aera pervagantes tacito cum risu miseratus sum. Nunc vero ut aliquid dicerem quod animo meo consonum esset, argumentum selegi aptum, ni fallor, quo nostram scientiam de humano genere optime meritam magis magisque demonstret.

Medicinae sane historiam attenta tibi consideranti statim observabitur eam per plura saecula nonnisi naturalium corpore studio ac rudiori brutorum Anatomiae innixam fuisse: unde primum empiricam dices, dein successive philosophicam, chemicam, mechanicam, fere ac si diversimode humanam fabricam, vitam, morbos, rerum diaeteticarum pharmacorumque actionem sibi unicuique fingere licuisse. Illuxerunt tandem lucidiores sapientiae dies tuncque humano corpore penitius perspecto, docuit Anatomes quid ex veterum anatomico-physiologicis doctrinis rejiciendum, quid innovandum, quid morbi nomine intelligendum sit, et quomodo sanationem ejus, quam olim diligens naturae observatio suaserat, nunc ratio mirifice confirmat aeternisque statuit legibus. Dum autem veteres ut plurimum medici aeque magis metaphysicis ac psychologicis notionibus delectabantur, recentiores contra nonnulli eas omnino rejecerunt, unde non paucae theoriis et quod magis interest praxi illatae sunt labes. Sed nostris hisce temporibus errorem istum senserunt eximii quidam viri, et organa psychicaa sedis actionisque radicitus investigantes; quid nobis de mutuo materiei spirituisque influxu cogitandum esset docuarunt, et quomodo quasdam functiones nobilissimas moderando, homo se ipso major reddi, ejusdem sanitas melius servari, morbi tutius faciliusque mederi possint, divino pene consilio monuerunt. Tanta hodiernae Medicinae, fateri liceat, perfectio animum perculit meum, ideoque statui pro meis viribus de medico harum notionum usu, sive de ea quam nuncupant Psychiatriam seu Medicinam psychicam verba nunc facere.

Jam ab Hippocratis usque temporibus ad nostrum praesens aevum Medici excellentiores omnes triplici remediorum acie humanum adgressi sunt morbum, pharma-

ceuticis scilicet, chirurgicis ac diaeteticis: quae etiamsi complures cujusvis aevi sectatores perperam ab se invicem descrimmaverint, tamen an ex sapientissimorum consilio atque ex rerum natura reapse sejungi possint nec ne, nemo non videt, et a meo proposito longe nunc distat perquirere. Neminem praeterea latet ex hisce tribus Medicinae partibus Pharmaceuticam et Chirurgiam quam maxime excultas fuisse, dum Diaetetice certe inter primas non vilior, tamen nescio quo fato neglectior mansit. Diaetetice porro ea doctrinarum pars audit, quae tum in sanitatem tuendam, tum in pellendos morbos illa nobis *externa internaque* nunc addit nunc subtrahit, quibus continenter vivendo utimur, lucem puta, calorem, aërem, cibos, potusque, quae utpote corpori applicita *externa* dicuntur, actiones porro mentis, animi sensum ac motus, *interna* seu uno verbo *psychica* appellamus. Hinc per se intelligitur Diaeteticam in duas discedere partes, quarum ultima recte *Psychica* nominatur, de qua scilicet mihi agendum propsnu. Ac primum monendum censeo, me in psychica hac medicina diagnosim distinguere a therapeia, in quibus pertractandis ea omnia addam quae hominem sanum, ejusque organa sedi actionique psychicae dicata peculiatim respiciunt. Quo quidem in negotio viam mihi praemonstrabunt clarissimi Gall, Spurzheim, Reil, Hartmann, Gallini, Bichat, Cabanis, Magendie, Broussais, nec non insignes practici Pinel, Esquirol, Georget, Cox etc.

Conditio hominis psychica in statu sano, in statu morboso et in morbis praecipue nervosis: diagnosis psychica in genere.

Homo inter cetera animalia perfectior mirificis componitur membris, quibus facillime nunc stare, nunc ire, nunc pro lubitu se in mille formas inflectere potest, atque omnibus exteriorum corporum impressionibus exponere. Hisce vero, quae exterius apparent proprietatibus, quaeque et ceteris animantibus, comunia sunt longe major intima perfectio respondet. Siquidem delicatissima tum extimi corporis tum viscerum superficies non antea ab enunciatis impressionibus permutatur quodammodo, quam ex tenerissimis nervis modificationes exceptae, per nos ultro

progrediuntur. augentur, usque dum tandem in centrum nervorum omnium perveniunt, idest in cerebrum, ubi incorporeum principium illud, quod animam dicimus, per incomprehensibile mysterium impressiones undequaque venientes distincte percipit, ac rerum unde proveniunt sibi fingit imaginem, indeque primi exurgunt spirituales actus, qui sensationes, perceptiones, atque idae nuncupantur. Acquisitis isto modo externis atque internis ideis, inest animae libera plenaque facultas tum eas vel post longissima temporis intervalla renovandi sibique interum repraesentandi, quae memoria ac imaginatio audit, tum eas inter se comparandi novasque iterum ideas ita efformandi, quod judicium et ratiocinium appellant. Ex earum porro facultatum confluxu, frequenti renovationa et augmento illa extat haud satis miranda humani tantum cerebri spiritusque in eo insidentis successiva modificatio quam mentem seu intellectum vocamus. Impressiones vero in centro nervorum productae, per regredientes inde nervos ad musculos tum internorum viscerum, tum osseo seleto adhaerentes persaepe ac pro nostro lubitu veniunt, statimque eos in actionem sibi propriam, quam motum dicimus, impellunt. Motus viscerum intimorum obscurus ac cerebrali actioni strictissime junctus nunc in periphaeriam corporis vertitur nunc in centrum reflectitur, et ita duos exerit in visceribus iisdem effactus a cerebro celerrima persentitos, quos affectus seu passiones nominamus: quarum aliae expansivae dicuntur vel motrices, uti laetitia, voluptas, spes etc., aliae deprimentes seu contractivae, uti tristitia, dolor, timor, pudor etc., aliae mixtae uti amor, ira etc. Motus denique musculorum sceleto adhaerentium evidentiores, ac tum cerebralibus tum visceralibus apprime respondentes, dicuntur voluntarii ac locomotioni, gesticulationi, sermocinationi aliisque functionibus inserviunt. Per istas organicas psychicasque vissitudines inter se strictissimo nexu cunjunctas, evolvitue homo, vivit nutritur, augetur. Successivum istud incrementum tum organorum tum in iis insidentium animae facultatum, pro statuto homini fato, pergit in dies, suum adipiscatur apicem, dein paullatim minuitur et vergit in finem: hic vita humana, hinc ejus aetates profluunt. Quandiu vero inter perculiares animae facultates atque in-

ter singula organa mutua et justa proportio intercedit, tamdiu existit in homine harmonia quaedam suavissima, quae si animae referatur, felicitas appellari solet, si corpori, sanitas, utraque ab altera haud sejungenda. Cum homo autem ex se vel ex more ac institutione aliorum, facultatem organumve aliquod prae aliis exercet, contingit ut istud magis evolvatur, dum reliqua segniora manent, quod in mare et in femina ac in diverso unius alteriusque stato professioneque fieri videmus. Sin autem praedominium istud viscus aliquod teneat thoracis abdominisve, tum in universum ferme individuum organicum psychicumque illa exurgit reactio ac peculiaris constitutio quae temperamentum vocatur. — Homine igitur cum universa rerum natura in nexu perpetuo posito, continue sensus, intellectus, affectiones, et motus in eo exercentur, ac nonnisi noctu et corpore nimium defatigato quotidie vires organicaspsychicasque instaurandi neccessitas oritur, et tunc quiescunt ac in somnum labuntur, sub quo consuetim visceralis, vitalis ac nutricius motus persistit. Anima idcirco continue in corpus nititur, a corpore mutue afficitur, continue in memoratas actiones digreditur, quarum perfectio in homine et a perfectiona suae constitutionis et ab exercitatione peculiatim dependet, quaeqe inter se proxime nectuntur, ac sibi ipsis mirum in modum respondent. Non citius enim sensus ab externo aliquo objecto percellitur, quam mens de illo cogitat judiciumque fert, quam voluntas saepius fere dixerim excitatur et motus faciei laryngis et artuum voluntatem illam exprimit atque in actum adducit. Libera una sibique perpetuo consona ista humani spiritus agendi ratio, nonnisi pro diversa physicarum rerum positiones, pro vario indeque pendente civilium institutionum apud varios terrae populos progressu, ac pro dissimili inter classes civium ac inter individuos homines ejusdem populi exercitationis modo, parum a typo deflectitur, hominem ceterum ubique semperque sibi ipsi aequalem praebet animantium principem, sublimissimae aptum perfectioni. Ejus vocis porro faciei ac membrorum, mentis animique actubus apprime consonus peculiaris habitus est fidelissimum perfectionis humanae testimonium, interni psychici status pretiosissimum, signum, sanitatis aeque ac morbi exacta mensura.

Quoties vero externarum rerum vel internorum actuum immodica abnormitas vitalem ac nutricium motum organi in quod agunt, exaltat nimis vel invertit, sequitur tum in alia viscera tum in cerebrum hujus perturbationis propagatio, atque molesta sensatio, alias omnes sensationes exsuperans, ideoque normales et quietas intellectus, voluntatis motusque actiones impediens, istarum vero loco novas abnormesque interdum ciens. Inordinata ista major minorve functionum omnium turba, morbus proprie cognominatur seu status morbosus, qui saepe destructionem organicam et psychicam separationem, uno verbo mortem inducere potest, tamen non raro, sublata causa nocent ac restituto consueto vitali nutricioque motu, in pristinam redit senitatem. In morbo igitur evoluto facultates sentiendi, cogitandi, volendi ac se movendi consueta saltem ratione, nisi sileant omnino, inordinato tamen exercentur modo. Et quo magis directe vel per consensum organi primario affecti nervosum systema ac peculiatim ipsius centrum in passionem trahitur, eo magis inordinatum sequitur illarum facultatum exercitium: unde non solum abnormis respiratio et pulsatio cordis arteriarumque, et contractio intestinalis etc., sed et sensuum et cogitationis volitionisque aberratio, et motuum externorum irregularis turba in morbis deprehenditur.

Quod si reliqua viscera, in morbo graviori et sub mortis anxietate, cerebrum nervosque ita afficiant, ut psychicae eorum functiones pervertantur, mirabili prorsus ratione hae ipsae functiones a norma sua abludunt, quoties affactio morbosa systema ipsum uerveum a quo exerrentur singilatim teneat, quod ex nimia intensione unius ex istis fun tionibus prec aliis, hinc ex rupto illarum aequilibrio atque ex huic respondenti organica laesione plerumqua petendum est. Hinc quotidie videmus ex usu nimio intellectus, ex protracta meditatione, ex affectuum animi excessu, ex immodico sensuum ac musculorum exercitio, morbos illos oriri qui genuine nervosi appellantur: sub istis interdum sensus vel res non percipiunt, vel insolita sub forma menti eas exhibent: hinc mens ordinem nexumque in suis ideis nullum plerumque servat, sed distractas admodum absurdasque sibi rerum fingit imagines: consimiles his saepe nascuntur affectus: ex quibus in abnormes, horribiles

aliquando, motus musculi conjiciuntur: quae omnia in vesania, in mania, in spasmi, in hallucinationibus etc., quotidie fieri, nemo est qui non sciat.

Concludendum puto signa quaedam diagnostica maximi facienda esse tum medicis universos morbos ac nerveos specialius curantibus, vel quibus salos aliorum hominum alioquin sanorum commissa est, vel quibus abditae hominum cogitationes affectionesque noscendae dirigendaeque sunt signa inquam quae ex motu musculorum affectus peculiares exprimentium a sedulo observatore erui possunt. Medici idcirco nunquam praetermittant in conficienda eorum morborum diagnosi, sermocinationes, physionomiam, gestum corporis reliquosque motus accurate notare, perpendere simulque conferre, ut aegrotantium viscerum, nervorum imprimis, status eisdem melius innotescat, faciliorque ipsis evadat morbi sanatio.

Prophylaxis et therapeia psychica.

Non solum morbum evolutum sanare sed ejus evolutionem praecavere Medicinae Medicorumque est. Et si psychicas regendo functiones, tum hoc tum illud facilius per medicum consequi poterit, merita ejus in genus humanum clarius in dies elucent.

Ex expositis doctrinis patet, prophylaxim nostram universas amplecti earum institutionum regulas, quae ad educationem hygienemque pertinet latissimo sensu acceptas. Hominem scilicet considerabit ab infantia sua ad ultimam usque aetatem, et illius sensus, mentem, animum motusque dirigere debet, ut sanitatem ex omni parte perfectam ipse acquirat ac sibi perpetuo pro possibili servet. Homini vix nate lux, calor, aer, cubile, lectus, stragula et vestes, substantiae ingerendae ita moderanda sunt, ut ejus tum externa tum interna organa sensim sensimque ad insuetos assuefiant stimulos atque a conditione foetus ad liberum usum actionemque externarum rerum, pro climate annique tempestate, absque nocumento gradum faciat. Sensus, dein quinque externi sollicite educandi sunt, ut corporum nimirum qualitates exacte, uti sunt, deprehendantur, ut verae efformentur primae rerum ideae, justa prima mentis judicia, proportionatae affectiones tum gaudii tum doloris,

ac respondentes expressiones, loquelae etc., et motus universales edantur, in propriam conservationem continue directi. Crescente homine, cerebroque se se magis evolvente, haec omnia per vocis atque scripturae instructionem corriguntur ac mirifice ampliantur, eadem semper habita proportione, lento tamen passu, semper a minori ad majus, a noto ad ignotum progrediendo, ac nec uni nec alteri ex dictis quatuor functionibus indulgendo nimis, sed omnes simul in aequabile trahendo, uti nostra postulat, incrementum. Pubertate ineunte evolutoque sufficienter et aequabiliter individuo, tum quivis homo pro sexu et conditione facultates singulas prae aliis exercere potest: elevatior factus potentias intellectus animique in dies evolvere debet, assidue educare ac respondentia organa roborare. Exigentibus dein ipsis organis, et comparata vel facile comparanda sufficienti bonorum fortuna, sexuum permittatur societas, amor, conjunctio, ut inde filii patribus similes enascantur. Ceterum cuivis hominum conditioni aetatique convenit immo necessario requiretur facultatibus psychicis, quas praealiis excolit, sua concedere otia periodica et quietem, illas in diversos dirigere sensus, et diversimode occupare: ita qui scientias excolent vel politioribus disciplinis erudiant animum, crebro studia mutabunt, suavibus sensationibus, ideas, affectibus per innumera solatia mentem exhilarabunt, ejusque functionibus harmoniam afferent, musculos saepe per deambulationes, equitationes ac gymnasticos ludos exercebunt, et omni vehementiore stimulo coercito, affectiones animitumultuosas sedabunt atque compescent, atque ita inter varias curas tranquillam et longam trahent vitam. Homines e contra laboriosi et rudiores consuetis operibus leviora quotidie interponent negotia, confabulatione, conviviis, publicis oblectamentis, jucondis affectibus, somno et quiete protractis, labores obliviscentur, instaurabuntque vires. Sat illis esse debet, si temperato et convenienti corporis regimine, nullum incitent nimis viscus aut organon, iram affectusque effraenes arceant, et mores servent simplices innocuosque, ut prospera illis longaevaque arrideat salus atque felicitas.

Nec homine tamen e natura vivunt; nec si sapienter, honeste, justeque viverent aliquem interdum mor-

bum possent effugere. Facilius vero esset psychicis auxiliis eos sanare, quam comedentes et luxuriosos. Quare morbo praesente primum causae nocentes auferendae. De-in sensibus externis internisque consueti stimuli subtrahantur aut immutentur pro varia indicatione, uti lux, calor etc., resque aliae quae moleste aegrum afficiunt, nec non vel sanguis vel humor quilibet et pharmaca varia externae internaeque superficiei admota. Medicus interea et domestici comiter placideque alloquantur infirmum, promptam opem se ferre, atque de prospero exitu dubitare profiteantur: laetae uno verbo excitentur ideae, laetaa affectiones et praesertim spes atque securitas. Omna demum impediatur mentis exercitium, quivis musculorum motus, unde quies in lecto servanda, sermocinatio prohibenda, situs corporis commodior eligendus. Cuivis autem patet haec omnia pro genere et specie morbi mutanda esse, de quibus loqui praescripti hujus disceptationis limites mihi vetant.

Nequeo tamen affectiones quasdam silentio praeterire quae nerveum peculiatim laedunt systema. In hisce profecto, praesertim si morbus ab excessu functionis alicujus nerveae originem duxit, uti ex nimio exercitio mentis aut ex pathematibus etc. causae illae omnes citissime de medio tollantur. Hinc si domesticae curae, aut perniciosaa familiaritates aegritudinem excitarunt, a consuetudine oculorum aciem mentis aeger debet abducere, adeoque et domum et amicos et patriam relinquere, ut locum quaerat amoenum et a natali prorsus diversum, ubi novi homines, novae res, nova exercitia paullatim sensationes, ideas, affectiones, motus illorumque series novas ex integro evocent. Si ab excessu ac tumultu cogitationum atque affectionum morbus oriatur et sustineatur, medicus attentissime modum exploret opus est, quo tristes cogitationes arceri possint, et cum nevroses fere omnes quandoque sileant et intermittant, momenta illa prudenti medico pretiosissima sunt, ut artes universas eruditi excultique viri in medium proferat, quae a morbosa directione functiones psychicas nerveasque stabiliter avertant, atque in normalem semitam trahant. Aegrum affabiliter alloquatur, fidenter quovis sequatur tempore, insuetis corporis exercitiis occupet, gymnasticis liberalibusque artibus assiduo

detineat, ad insolitas educet habitudines, usque dum restituto normali statu, paroxysmisque morbosis non amplius redeuntibus, aeger prioribus tradatur officiis. Methodus haecce tam efficax in maniacos experta a philanthropis medicis recentioris aevi et peculiatim Neapoli et in Anglia, mirifice convenit in quavis alia affectione nervosa, uti in hysteria, in spasmis, in paralysi etc., in quibus tam morbis pro re nata mutari debet, et reliquis medicinae subsidiis conjungi. Et cum felix curationis istiusmodi exitus medicorum expectationi apprime hucusque respondeat, magna in spe sumus amentium in posterum, teterrimum quidem psychicarum facultatum morbum, non desperatum tamen a doctis medicis considerari.

CONCLUSIO.

Medicina et speciatim therapeia psychica nostra hac aetate prudentiori et efficatiori methodo adhibita, futuris aevis magis magisque procul dubio excoletur atque ad majorem perfectionem, quod Dii faxint, evehetur: qua de causa nunquam illam negligant aut aspernentur medici. Quemadmodum vero hucusque, et naturae magis consona et magis ab experientia sancita illa medendi ratio, quae morborum causis indagatis, eas simplicioribus pharmacis manunque avertit atque compescit; ita Psychiatria semper reliquis diaetetices auxiliis, et Diaetetice Pharmaceuticae atque Chirurgicae Medicinae amico ac inseparabili jungentur nodo: idque praesertim cum nervorum morbos medici sibi profligandos soscipiunt.

THESES DEFENDENDAE

I.

Medicus a sanguinis depletionibus desistere non debet, statim ac gravi in flogosi symptomata debilitatis prodeunt.

II.

In phlogosi cardiaco — vasculari, Digitalis potissimum remedium.

III.

Vomitus pervicax et inveteratus, prae caeteris pharmacis Magisterio Bismuti infringitur

IV.

Febris intermittens, tractamen quodcumque reluctans, aeris mutatione sanatur.

V.

Mineralia prae vegetabilibus ocyorem in fibra viventi mutationem inducunt.

VI.

Magis improvisum, quam praevisum gaudium nocet.

VII.

Animi Pathemata rarius pharmaceuticis, quam Psychicis remediis curantur.

VIII.

In diarrhoeis praesertim irritativis, potissimum pharmacum Ipecacuana

IX.

Valde favet visceralibus obstructionibus tristitia.

X.

Qui nimis cito, parum tuto curant

XI.

Inter Medici dotes, firma valetudo est adscribenda

XII.

Nisi philosophus, bonus non datur Medicus.